QVÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XIV. FEBRVARII,

M. FRANCISCO LESPICIER Doctore Medico Moderatore.

826

An fluori vterino portulaca?

PERITE ſcriptum reliquit diuinus ſenex, oportere Medicum cauſam morbi priùs agnoſcere, quàm de remedio cogitet; morborum ſiquidem aliàs eſt facilis, aliàs difficilis cognitio quò fit vt magna artificis induſtria in illis dignoſcendis & diſtinguendis deſideretur: ætas quæque ſuâ fruitur ſanitate, & vterque ſexus ſuis conflictatur morbis, mulier calore moderato demulcetur, frigore contriſtatur. Si quis muliebres affectus vt viriles curare vellet is toto vt aiunt cœlo, erraret. Nec mirum ſi inter viros nonnulli muliebrem animum gerunt, mulieres nonnunquam virilem oſtendunt, imo inter mulieres magnum diſcrimen ſæpe reperitur, quod varius cutis color, & habitus corporis indicat: ſic εὐχροια quæ πολυαιμίαν tanquam ſororem ſibi iunctam habet, licet ſpectantium oculos delectet & alliciat, non raro ſuſpecta eſt, & internam intemperiem quorundam morborum parentem denuntiat.

VTERVM naturæ fundum libidinis ardore laſciuientem modo ſurſum, modo deorſum ferri ſatis conſtat, qui motum illum ligamentis & plethoræ tantum aſſignant natiuos partium conatus ignorare videntur; pluribus morbis hic mancipatur, quorum alij in vtero delitefcunt; alij ab vtero oriuntur, & ita in apertum ſe produnt, vt totum corpus in conſortium & contagionem trahant. In vtero eryſipelas, cancer & hydrops difficile curantur, in grauida muliere interitum vt plurimum vel ſaltem aborſum minantur. Ab vtero συνολκὴ conuulſionis comes, & nymphomania in qua tantus fit ex vtero vaporum aſcenſus, vt imaginationem feriant, & ſua qualitate cerebrum alterando furibundum delirium excitent cui ſuffitus è caphura ſalubris, purgatio periculoſa; multis mulieribus dolores capitis familiares à conceptu miteſcunt, à partu reuiuiſcunt; reliquis pica & vomitiones moleſtæ ſunt, quas medicamentis ſedare nefas, denique exanthemata intemperati iecoris, aut imbecilli fœtus argumenta ab eodem vtero reſultant, hunc ſæpe morbi affligunt, crebriùs ſymptomata, inter quæ eſt fluor muliebris.

AB vtero tanquam ab vberrimo fonte multifarij humorum effluxus erumpunt, menſes primùm naturali lege ad lunæ motum prodeuntes minimè malefici, imo ad conceptum neceſſarij, ſi tamen diutiùs retineantur, aut profuſiùs effluant ſuos habent morbos; deinde lochia quæ ſi initio alba conſpiciantur non pertimeſcenda: ſi diu perſeuerent ῥοῦν γυναικεῖον præſagiunt, eadem ſuppreſſa febrem, vel acutum morbum producunt: fluit alba proluuies puellis etiam virginibus non inutilis, quæ fœdis earum coloribus auxilium pollicetur, fluunt & morboſi menſes, qui κακοχυμίαν, vel totius corporis καχεξίαν ſignificant: hinc oritur ſimplex & virulenta gonorhœa viros & mulieres perinde contaminans, quæ ſi contumax ſit multum formidanda. Ab eadem etiam ſcaturigine fluor muliebris emanat; qui fit quoties totum corpus per vterum, eo ſæpius non laborante, expurgatur, nulla huius certa periodus conſtituitur, ſed menſe vectigali fluente dat inducias, nec conceptui ſemper aduerſatur.

LICET menſis morboſus & ῥοῦς commune quid habeant nihilominus periodo & excretionis ſpecie inter ſe diſtinguuntur, vterque affectus familiaris eſt mulieribus cacochymiæ vel catharro obnoxiis, & carnoſam corporis ſubſtantiam mollem atque laxam habentibus, ſed menſis morboſus hoc ſibi proprium vendicat, quod ab internis vteri acetabulis ſæpe profluat, humoremque ſanguini confuſum contineat, quod gerendi & nutriendi fœtum commoditatem auferat, & eo dominante abortiui fœtus in lucem emittantur; ῥοῦς γυναικεῖος vt plurimum aliquid corruptum & tetro odore moleſtum profert; hic iuniores minùs, ætate verò declinantes magis diſcruciat, in illis ſanguinis ſanie perfuſi, in iſtis florum alborum nomine melius deſignatur: vtriſque ſi puris excretio cum manifeſto dolore contingat, vlceris indicium ſuggerit: hic affectus ſæpe ventriculi ἀτονίαν hepatis κακοπραγίαν meſenterii impuritatem, vel ipſius vteri vitium comitatur.

PROVIDENDVM igitur maximè erit, ne vnam & ſimplicem fluoris vterini curationem inſtituamus, ſed pro diuerſa ægrotantium natura, & humoris morbifici conditione legitimam decernamus: Nam ſi à flaua bile redundante excitetur remediis χολαγώγοις indigebit, ſi à pituita putri vel ſeroſo humore producatur, ὑδραγωγὰ & vrinam mouentia poſtulabit: hac ratione vtilis erit purgatio per ἐπίκρασιν, quæ ex ſenna orientali, rheo, agarico, vel medulla ſiliquæ ægyptiæ concinnabitur; ſin laborantis mulieris corpus plethoricum reperiatur, à venæ ſectione curationis exordium ſuſcipietur; enimuero in præſcribenda victus lege huic affectui conueniente, imperandus erit refrigerantium, & aſtringentium alimentorum vſus, inter quæ portulaca primas tenet; hæc enim in cibum ſumpta ventriculi & inteſtinorum πύρωσιν demulcet, ſuccus illius hauſtus febrilem calorem temperat, ſi cum aqua decoquatur, dyſenterias & hæmorrhoidas iuuat; hæc denique πολυέμφους ſanguinem alioſue humores per vterum παρὰ φύσιν effluentes eâ facultate qua pollet mirifice reprimit & compeſcit.

Ergo fluori vterino portulaca.

273.

Proponebat Lutetiæ DVRANDVS FRANCISCVS YON, Pariſinus. A.R.S.H. M.DC.XXXVI.